QVÆSTIO

CATHOLICA, POLITICA,

An à Rege Catholico, & Archiduce serenissimo, bellum hoc tempore in Belgio contra confœderatos Status sit resumendum?

Sub fine induciarum tractata, & X. Propositionibus resoluta

à

NICOCLE CATHOLICO.

ANNO M. DC. XXI.

EPIGRAMMA

IN SERENISSIMAM DOMVM AVSTRIACAM,

&

ILLVSTRISSIMVM

Marchionem SPINOLAM.

Si Domus AVSTRIACI; *Tu* SPINOLA *Murus. At Illi.*
Tu quoque. Stent! Stabunt, Murus hic, Illa Domus!

AD BENEVOLVM LECTOTEM.

ANte multos annos, vti notum est, primum in Belgio variæ conspirationes sub variis prætextibus exortæ sunt; deinde vero paulatim res in maiora odia abiit, et deniq; non diu post in apertum bellum, quod per multos annos cum magnis bonorum & virorum impendiis acriter continuatum. Sæpe quidem interim quæsitæ vel etiam habitæ fuerunt tractationes de reconciliatione per pacem, sed nihil fieri potuit; sæpe etiam de inducus saltem, sed ne hoc quidem fieri potuit: donec tandem in inducias duodecennales ab vtraque parte consensum fuerit. Illæ vero iam hoc ipso tempore expirarunt; & neque interim de pace, neque de aliis induciis conuentum est. Hinc vero iam oritur nobilissima quæstio inter homines rerum publicarum & politicarum amantes, An scilicet consultum sit, vt bellum in Belgio hoc tempore à Potentissimo Rege Hispaniarum, & Serenissimo Archiduce Alberto resumatur, vel An potius vlteriores induciæ faciendæ? Nemo vero quam diu modum non excedit, præiudicare putandus est consiliis dictorum Principum, qui omnes res, & considerationes circa eas pro tempore occurrentes melius nouerunt; sed reseruata Ipsis sua prudentia, tantum ea dicit, quæ sibi videntur.

Nuper itaque et ego animum ad hoc adieci, vt ea, quæ hinc inde data opportūitate super hac quæstione mouētur, & plura alia, ad certas Propositiones sub tenui meo iudicio colligerem. Quæ tamen imprimis subdo Maximis eorum Iudiciis, quorum res hic agitur, Maximorum videlicet Principum, Archiducis, Regis, Imperatoris; & deinde cuiuslibet alii boni judiciosiq; viri censuræ. Aduersariorum vero censuras nec metuo, nec curo, nec iis vllo modo me submitto: quam te-

nuia enim in re graui, & secundum rectam rationem dirigenda, ipsorum iudicia sint, satis noui. Interim non poterunt conqueri, sibi vllam in hoc scripto meo fieri iniuriam: potius candidam & interdum aculeatam veritatem amabunt.

De hoc vero mihi Benignus Lector adhuc monendus videtur, quod etiamsi à parte Catholicorum iam Serenissimus Archidux principalis huius belli actor sit, vtpote ad quem Belgium ex dote peruenerit, quod tamen ego nihilominus Regis Catholici tanquam principalis mentionem faciam: non tantum propterea quia maximis eius auxiliis bellum hoc geritur; sed multo magis quia ex rebellione contra Ipsum incepit, & quia ad Ipsum denique post mortem Archiducis idem Belgium redituturum est. Hoc vero iam imprimis attendendum: quia alias Archidux, quantum ad se, propter quietam suam senectutem, forte magis ad pacem, seu inducias tales, quales hactenus fuerunt quam ad bellũ, cum magno omniũ fauore propensus esse posset. Interim tamen sæpius, quando Regem Hispaniarum breuitatis gratia tantum nomino, Lector etiam suo loco simul Archiducem serenissimum subintelligere poterit.

PROPOSITIO I.

Potentissimus Rex Hispaniarum habet iustißimas causas bellum cum confœderatis statibus in Belgio resumendi.

SVnt enim Status illi manifesti rebelles; et pro talibus habentur apud omnes veritatis & sinceritatis amantes, Catholicos imprimis, quibus non indebitus aliquis amor incrementi suæ temporalis Politiæ, & decrementi potentię Hispanicæ aliud persuadet. Et facile patet: Recusant enim subdere se legitimo suo Capiti seu Magistratui, potentissimo nimirũ Hispaniarum Regi, qui legitimus eorum est Princeps.

Comminiscuntur hic quidem Status confœderati, vt rebellioni suæ prætextum aliquem faciant, varias causas, quibus probare intendunt, Regem Hispaniarum iure suo, quod in prouincias Belgii habuit, excidisse, adeoque se ad illum abdicandum recte commotos fuisse. Verum quia iam mei instituti non est, eas singulatim contra omnino peruicaces examinare; sed tantum eo modo discurrere, vti id nondum plane corrupta iudicia vel admittunt, vel admittere debent;

ideo

ideo prolixo iſto diſcurſu relicto, hic tantū breuiter & generatim aduerſarios moneo. Primum, vt recogitent, an non multa in factis Regis, ſi non fingant, ſaltem exaggerent? Deinde, ſint omnia vera, quæ dicunt, perpendant tum bene, an ſubditis propterea liceat obedientiam ſui Principis excutere? Inuenient vero, quod id nullo iure ſit licitum. Denique, quia potiſſima eorum cauſa eſt, quod Regem accuſent crudelitatis ſeu tyrannidis, diſtinguant bene inter ſtrictam iuſtitiam & ius belli, atque inter crudelitatem ſeu tyrannidem: diſtinguant deinde inter ea, quæ per militum inſolentiam, et quæ per Regis voluntatem facta ſunt; ſibique ipſis plene ſatisfacient. Si ergo hactenus ex errore peccauerunt, reſipiſcant, cogitantes; quod errare humanum ſit, perſeuerare Diabolicum. Sin autem in rebellione pertinaces manent, & per nullum aliud medium ad obedientiam redire volunt, iuſto bello ad eam cogi poſſunt.

Status illi Regem Hiſpaniarum plurimum læſerunt in bonis ſeu II.
ſubſtantiis ſuis. Hoc delictum fere oritur ex præcedenti. Quia enim tanquam rebelles ſubtraxerunt ſe debitæ obedientiæ ſui Principis, ac ipſi omne ius in ſe negauerunt; conſequenter etiam ſubtraxerunt ipſi, quicquid bonorum in prouinciis confœderatis antea habuit. Et deinde, quia in iniuſto hoc facto obſtinate ſe contra Regem multo tempore defenderunt, ipſi cauſæ maximarum expenſarum fuerunt; vti ex tam diuturno & graui bello, facile ſed cum dolore colligi poteſt. Sed ipſis hoc nondum ſuffecit; vltra iniuſtam defenſionē etiam progreſſi ſunt ad iniuſtam offenſionem, multa loca occupando, rapinamque in terras Regis, et piraticam in naues exercendo.

Quoniam vero bona & iura ſua aliquis ab iniuſto poſſeſſore, et recompenſationem damni, quod ex alterius iniuſto facto paſſus eſt, repetere poteſt; etiam bello, ſi Princeps fuerit, et reus ad id nullo alio modo perduci poſſit: ſine dubio quoque Rex Hiſpaniarum hoc ius in ſubditos ſuos habebit.

Iidem Status Regem Hiſpaniarum etiam plurimum in honore III,
& Maieſtate ſua læſerunt. Hoc patet multipliciter: Nam Rex plurimum in honore & Maieſtate ſua læditur, quando ſubditi eum indignum iudicant, cui obediant; atque eo magis, quo diutius, et cum maiore vi in hoc perſiſtant; vti iam per multos annos Status contra Regem fecerunt & adhuc faciunt. Deinde Regi bona ipſius per apertam vim rapuerunt, detinuerunt, detinent; adeoque per hoc ipſi non

ſolum infertur damnum in rebus, ſed etiam id vergit in perſonæ ignominiam ſiue iniuriam. Item, quantum in ipſis fuit, Regem per totum orbem infamē reddere expreſſe ſtuduerunt, & adhuc ſtudent. Faciunt id, tum quacunque fere occaſione oblata, tum imprimis quando ad faciendum rebellioni prætextum cauſas ſuæ defectionis reddunt; & quando alios Reges, Principes & Reſpubl. ad fœdera atq; auxilia ſollicitant. Benigniſſimum enim, quod tunc ab ipſis auditur, eſt quod Rex ſit homo imprudens, iniuſtus, periurus, crudelis, tyrannus: cum tamen Regis potius ſit ipſos eiuſdem accuſare veraciter, cuius ipſi Regem mendaciter. Ne dicam adhuc quicquam de multis infamibus et mendacibus libellis, cantilenis, picturis, quæ ipſis conniuentibus, forte etiam ſæpe volentibus, ad tollendam æſtimationem & aliorum Principum Chriſtianorum, et Regis imprimis, ex ipſorum prouinciis prodeunt. Eſt quidem verum, quod non tantum apud bonos Catholicos, ſed etiā apud quoſuis alios honeſtatis amantes ipſorū calumniæ non habeant locum, et quod apud tales Rex propterea non ſit in minore æſtimatione & honore, ſed quod potius eius heroica virtus in patienter ferendis aduerſis magis eluxerit: ſed hoc Deo, Regis & aliorum virtuti aſſcribendum. Illa calumniatorum colluuies, quantum potuit, bonæ Regis æſtimationi apud omnes obeſſe voluit. Bonum autem honoris, Maieſtatis præſertim in tanto Rege, magnum eſt, cuius læſio bello licite vindicari poteſt.

IV. Quando in alicuius Catholici Principis Republ. fides Catholica euertitur, bona Eccleſiaſtica occupantur, hæreſis regnat, Catholici varie opprimuntur; Princeps, adeoque et Rex noſter, iuſtiſſimam cauſam habet armis remedium procurandi &c.

Nihil tamen hic dico de ipſorum ſectis, quibus intra ſuas definitas conditiones manentibus fides publica data ſeruanda eſt.

Hæretici hic quidem etiam alias varia obganniunt, & de tyrannide in conſcientias multa clamitant, quando credendi libertas non permittitur; ſed mihi iam non lubet contra omnes ipſorū nugas diſputare. Sufficit hic quod apud Catholicos noſtra aſſertio non vertatur in dubium, et quod hæretici ſuis factis ſeipſos refutent; vti & hæretici Belgii Status per hoc ſatis, quod ipſi pro ſua hæreſi iam faciant, quod à Rege pro ſua vera Catholica fide fieri maxime tyrannicū vocauerunt.

Vbi iam Catholici in ipſorum Prouinciis habent liberum ſuæ religionis exercitium? puto in iiſdem templis, vbi illud omnibus ſeculis præ-

lis præ-

lis præcedentibus habuerunt Geusii seu Caluinistæ. Qua igitur fronte possunt hanc inter causas referre, propter quas Regem è principatu Belgii deponere sibi licuisse volũt? nisi & velint simul fateri, quod iuste ipsis fieret, si iam Catholici vel Arminiani, vel vtrique simul iterum conspirarent, ipsosque ex vsurpato suo magistratu deturbarent. Fieret sane ipsis secundum doctrinam suam, nec forte iniuria volentibus; iustius ad minimum vel propter hoc solum Caluinistis illis à Catholicis & Arminianis fieret, quam Regi Catholico ab illis factum. Quid, si adhuc discurrerem de causis, fine, modoque, quibus id omnino iuste fieri posset? Veruntamen ego hoc Catholicis ibi degentibus non suadeo. Melius est, vt persecutionem suam patietner ferant: si Deo placet, eos alio modo liberabit.

Atqui forte dicent (neque enim aliud dicere possunt) ne idem iam nobis à Catholicis & Arminianis fiat, nos merito vi & armis cauemus. Sit ita: sed quomodo tum dicere possunt, idem Regi olim non licuisse? anne ipsis iam plus iuris est in prouincias confœderatas, quam Regi, vel secundum eorum sententiam, in easdem fuit? qua vero impudentia id asserent? Item, quare nec Rex iam adhuc ius suum, quod re vera non perdidit, vi & armis prosequi potest, vti per argumentum hoc probare intendimus? Sed nihil mirum, se multis absurditatibus homines eos intricare, quorum affectus cum pertinacia dominatur rationi.

PROPOSITIO II.

Rex Hispaniarum non renunciauit iuri suo, quod olim in vrbes, prouincias, Statusque confœderatos Belgij habuit.

POstquam harum prouinciarum Status multas falsas rationes produxerunt, quare Regem non amplius agnoscant pro Principe suo; Iam quærunt adhuc nouum effugium, nimirum quod Rex ne quidem ex propria sententia aliquid iuris in prouincias illas prætendere possit, vtpote qui ei renunciauerit, vrbes, prouincias pro liberis, se incolasque pro liberis populis agnouerit. Contra hoc itaque confirmanda propositio ista.

Quia

Quia scilicet res facti est, an Rex fecerit, quod ipsi dicunt; sic ipsis incũbit probare, quod id fecerit; alias nos merito dicimus, quod gratis & cum mendacio id asserant.

Quomodo igitur probant? subtiliter. Nimirum primaria induciarum conditio reliquis omnibus præmissa, fuit, quod Rex in tractatione de induciis, vrbes, prouincias & Statu-confœderatos habeat tanquam pro liberis, in quos nihil prætendat. Ergo nos sumus liberi, et Rex nihil habet quod in nos prætendat.

Sed essentne Status illi re vera tam simplices, vt hoc serio dicant? Ego autem non credo. astute simulant simplicitatem, vt simplices fallant: eos enim, qui alicuius sunt iudicii, per hoc hoc fallere non possunt. Ne tamen vllos fallant, examinemus veritatẽ probationis ipsorum. Primum, possemus ipsis adhuc satis ex verbis respondere, e si non esset addita particula, *tanquã*: sed hæc si e dubio propter tollendam hanc fallaciã addita fuit. Inde igitur iam merito eam refutamus.

Fateor ergo quod particulæ comparandi, *tanquam*, *quasi* & similes in omnibus linguis interdum non significent similitudinem, sed ipsam veritatem rei & adhuc cum quadam emphasi; vt quando pater vero suo filio dicit, Ego habeo te tanquam pro filio. At Status debent mihi iterum fateri, quod hæ particulæ frequentius similitudinem aliquam rei, non ipsam veritatem significent: vt quando vir senior diceret alicui iuueni externo, quem diligit & cui beneficium aliquod paternum exhibet, Ego habeo te tanquam pro filio. Exemplum accommodatius forte erit hoc. si v.g. Rex vero suo subdito dicat, Ego habeo te tanquam pro subdito, significat certo eum subditum esse. Sin autem Rex in certa aliqua sua causa subditum suum faciat iudicem arbitrarium, vti facere potest, ipsique dicat; In hoc casu ego non habeo te tanquã pro subdito, sed habeo te tanquã pro iudice, & quam tu laturus sis sententiã, ego sequar; neque significat eum simpliciter desinere esse subditum, neq; simpliciter fieri iudicem. Atque hoc posteriore sensu dicimus nos, quod Rex in tractatione induciarum habuerit vrbes, prouincias, Status confœderatos tanquã pro liberis. Vti ergo si externus ita habitus pro filio, vi horum verborũ postea vellet semper haberi tanquã verus filius, & si subditus ita habitus pro iudice, vellet postea Regem habere pro subdito, illi merito derisum pro responso acciperent; ita iam eundem pro responso à me habeant Status.

Instabunt forte, quod nihilominus etiam per nostram sententiam se-

am secundum priorem sensum ex verbis Regis inferri possit, quod vrbes, prouincias et Status habuerit pro vere liberis: et quare igitur non possent ita inferre? Respondeo, quod secundū posteriorem sensum etiam inde possit inferri, quod Rex eos non agnouerit pro vere liberis: & quare ego & reliqui Catholici non possemus ita inferre, imprimis cum posterior sensus in illa particula sit multo principalior, quam prior?

Instabunt forte vlterius, inde tamen sequi, quod Rex propter duplicem istum sensum luserit ambiguitate, & sic ipsos, qui priorem sensum arripuerint, deceperit.

Hic iterum simulant simplicitatem, velut ante. Vt tamen omnes videant Regē sensum suum satis clare proposuisse, ita vt eum et Status intellexerint, & omnes intelligere potuerint, illud ex re ipsa declaremus. Si nimirum Rex iuri suo renunciare voluisset, Statusque pro omnino liberis, in quos nihil vnquam prætenderet, habere, ad quid voluisset facere inducias duodecennales? tum enim tota res fuisset composita, factæque induciæ perpetuæ, seu pax omnimoda. Vel putantne Regem fuisse tam absurdum, vt vellet suo iuri renunciare, & post duodecennium bellare absque iure? *Risum teneatis amici.* Miror itaque plurimum, quomodo hanc suam fictitiam libertatem Dñō Peckio, Cancellario Brabantiæ, publice pro responsione obiicere ausi fuerint. Oportet valde impudens esse hominum genus, quod Regibus, Principibus & toti Orbi illudens neminem esse somniat, qui crassam fraudem animaduertat.

Est vero hoc notabile exemplum, quam candidis rationibus Status contra Regem agant: vnde aliquis, qui alias non nouit, bene potest plura colligere, vel saltem in plurium prudentem suspicionem venire.

PROPOSITIO III.

Rex Hispaniarum neque renunciabit iuri suo, quod in vrbes, prouincias, Statusq; confœderatos Belgij habet, præsertim eo modo, vt maneant in tali statu, in quali tempore induciarum fuerunt.

B Quid

QVid quidem Prudentiſſimus Rex facturus ſit, mihi præciſe non conſtat: quod autem hoc facturus non ſit, ſatis ex naturali & Politico aliquo diſcurſu probabiliter colligi poteſt. Nam ſicuti quilibet eſt diſpenſator non diſſipator iuris & bonorum ſuorum: ſic nec abſq; magna cauſa Rex hocius ſuum magni momenti reſignabit. Ego vero nullam ſatis magnam cauſam ad hoc inueniri puto. Non enim periculum eſt primo, quod Rex cauillatoribus ſuis conſentiat, ipſiſque demum concedat, quod ius ſuum per iniuſtum regimen perdiderit. Nec deinde ego vllam aliam probabilem cauſam inuenio. Si enim aliqua eſſet, forte eſſet illa, quod Rex diffideret, ſe rebelles ſuos ſubditos vnquam ſubiugaturum; & quod ſic melius ſit parcere vlteriori labori & ſumtibus, illoſque in pace relinquere. Quod vero Rex nullo modo diffidat,

Colligo primum ex ipſius natura & virtute heroica, per quas merito iudicabit tantæ Maieſtati indecens fore, ſi vel hoc aperte præ ſe ferat, vel inde tantum ſuſpicandi materiam præbeat.

Quia vero animus abſque viribus non ſufficit, colligo id ſecundo, ex magna potentia Regis Hiſpaniarum, quæ quia tanta eſt, vt nulla ipſi in mundo par ſit vel fuerit, animus cum tantis viribus iunctus ex diffidentia iuri ſuo non renunciabit.

Item Si Rex Hiſpaniarum voluiſſet huic ſuo iuri eo modo renunciare, (non tamen ex defectu ſuo, ſed aliquorum, per quos res adminiſtrabat) feciſſet id ante duodecennium vel prius: quia tum ſæpe in Belgio à parte ſua fuerunt magnæ difficultates in mediis belli gerendi, pecunia ſcilicet, obedientia & fidelitate militum. Si autem tum nihilominus nullis difficultatibus permoueri potuit, vt pacem perpetuam, tanquam inhoneſtam, honeſto licet periculoſo bello præferret; multo minus id iam vel in poſterum faciet, vbi omnia ab ipſius parte ſunt meliore loco; vt inferius videbitur. Tota vero hæc propoſitio etiam melius ex ſequentibus patebit.

Scirem tamen bonum conſilium, quo confœderati Status Regi Hiſpaniarum efficaciter perſuadere poſſent, vt ſuum ius, ſi id hactenus non fecit, adhuc reſignet, eoſque omnino liberos pronunciet; nimirum vt hoc faciat in gratiam ipſorum, vt qui de Regia Maieſtate tam bene meriti fuerint.

Pro-

PROPOSITIO IV.

Rex Hispaniarum habet sufficientia media ad bellum contra confœderatos Status in Belgio prudenter resumendum.

PRimum quidem de pecunia, belli neruo non postremo, parum est dicendum: satis enim notum est, quod ordinarij reditus Hispaniarum Regis superent omnium regum & Monarcharum reditus. Inde igitur si per prudentem dispositionem bona pars pro hoc bello separetur, quis defectũ in pecunia fore putet? imo quis putet id iam tempore induciarum non fuisse factum, & in posterum non magis magisque faciendum? Nemo, etiamsi quidem id aliunde non nouerit tam iniquus æstimator erit; imo nec, etiamsi alias impudens sit, coram viris alicuius notitiæ & prudentiæ esse audebit. Nihil adhuc dicam de aliis modis, quibus Rex copiosam pecuniam colligere posset, si necessitas foret; nimirum si permittente summo Pontifice sollicitaret contributionem aliquã, à suarum terrarum Ecclesiasticis, vel si etiam extraordinarij aliquid à reliquis suis subditis, qui ad hoc faciendum satis prompti sunt, imprimis Hispani; & Belgæ non rebelles, seu non infideles: omnesque magis promti erunt, quando videbunt, vt re vera est, bellum hoc singulariter concernere honorem Dei, Regis, Patriæ, promotionemque fidei Catholicæ. Constat deinde, quod Hispania sit veluti mare, in quod aurifera thesaurorum flumina ex Indiis confluant, & non tantum ea quæ fluunt in commodum Regis, verum etiam ea, quæ in commodum Mercatorum. Ponatur vero iam grauis necessitas ex parte Regis, ita vt thesauri eius proprij pro aliquo tempore non sufficiant; quis tum vitio verteret Regi, si ad bonum publicum promouendum, quia omnes thesauri Indici sub primo aduentu in ipsius potestate sunt, inde ingens aliquorum mercatorum lucrum sibi tanquam mutuum retineret, ipsisque si amplius non velit *quinque* pro *centum* ex iure communi annuatim solueret, summam vero capitalem tum demum, quando cessante necessitate Regium ærarium melius se habuerit. Et ne quidem ipsi mercatores hoc cum ratione ægre ferre deberent, quamuis ex tali pecunia, si eam interim sub sua I.

 manu

manu habuissent, maius lucrum sperare potuissent. Debent enim cogitare, quod bonum Regis publicum multum præponderet bono ipsorum priuato; & quod postea quicquid lucri ex Indiis habent, id ex laboribus, indagationibus & patrocinio Regum Hispaniæ habuerint & habeant: quam parum igitur, si tanquam grati magna hæc beneficia, tempore necessitatis, Regis vtilitati iterum aliquo modo seruiendo, agnoscant. Hoc autem non facile fiet: tantum id dico, vt innuam, si forte necessitas foret, Regisque ordinarii reditus pro aliquo tempore non sufficerent, non deesse ipsi modos, quibus etiam tunc rebus suis consulere posset.

II. Neque deest, vel deerit Regi magnus exercitus. Vbi enim multa pecunia est, & vbi multæ regiones, prouinciæ, commoditates, quibus conscribi possunt milites, ibi saltem non deesse potest magnus exercitus. Atqui de copiosa Regis pecunia iam antea dictum. Constat etiam omnibus, quantas regiones, prouincias & commoditates ad conscribendum militem habeat, maximas sane.

III. Sed quia non sufficit, vt exercitus sit magnus, tumultuariè collectus, vti Turcarum esse solet, qui tamen à Christianorum licet longe minore plerumque vincitur: præter magnitudinem imprimis etiam ad bellum requiritur, vt exercitus sit fortis & bonus.

At neque in hoc apud Regem defectus esse potest; vt pote qui exercitus suos conscribit ex fortissimis & bellicosissimis mundi populis, Germanis, Hispanis, Italis, Wallonibus, quorum virtus bellica vbique nota est. Et præterea non necesse est, vt quoscunque ex his occurrentes ad numerum faciendum tumultuarie colligat; sed in tanta commoditate per tam multas insignes terras conscribendi, potest singularem bonorum delectum & malorum exauthorationem instituere. Habet deinde iam in promtu multos veteranos, fidissimos, in hoc eodem bello & in iisdem terris, vbi bellum geritur, expertissimos, versatissimos milites, capitaneos, Duces, qui postea reliquos de nouo aduenientes ducere & incitare possunt. Videtur iam præterea in omnibus militibus Regiam causam propugnaturis singularis esse feruor, animus, promtitudo, vnanimitas fortiter & constanter pro Rege pugnandi; tum quia vident non amplius fore defectum in solutione stipendij; tum etiam quia potissimum iustissimas Regis pro hoc bello causas, aduersariorumque iniquitates semper vident melius. Et sic non tantum tanquam boni milites sperant in sua virtute,

sed

sed etiam tanquam boni Christiani pro iusta causa ac pro honore Dei petunt & sperant auxilium Diuinum.

Nec denique vltimo loco omittendum, quod merito inter prima est ad faciendum bonum exercitum, nimirum singulares virtutes Capitum & Ducum, ex quibus bellum pendet. Hic itaque primum valde excitat milites Magna Excellentia Potentissimi Regis Hispaniarum, & Serenissimi Archiducis Alberti, primorum belli Capitum. Quis enim, qui alicuius nobilis animi est, non vellet libentius & animosius vitam suam in seruitio tantorum Principum profundere; quam mercatorum, vilium textorum, salsamentariorum, & similium, quales ab altera parte præsunt? Pudet me, quod aliqui Illustriores cum huiusmodi hominibus, tanquam cum amicis tractent, vel etiam iis seruiant, quibus ipsi quoad originem imperare digni essent: nec vllus mihi persuadebit, quod ad hunc zelum moueantur ex iustitia causæ bene inspectæ, sed ex opinione, vana gloria, spe lucri & aliis quibusdam secretis Politicis. Sunt deinde in memoratis Principibus, singularis pietas, bonitas, prudentia, iustitia, aliæque virtutes; *Rumpātur & ilia Momis* aduersariis, qui vt & reliqui Caluinistæ, vbicunque possunt rebelles, multis apertissimis calumniis, mendaciis, promissorum & iuramentorum impudentibus irritationibus apud omnes bonos hoc effecerunt, vt ipsis in posterum tantum credendum sit, quantum omnium rebellium & mendacium patri Diabolo. IV.

Elucet deinde in exercitus Duce Generali, Illustriss. Marchione Spinola singularis prudentia & fortitudo bellica; quibus vti omnibus Serenissimæ Domus Austriacæ hostibus terroris, ita suis magni animi ac fiduciæ causa est. Quāuis vero Marchio Spinola adhuc in expeditione contra Palatinatū occupetur: tamen in cōmunibus discursibus Politicis ab omnibus putatur, quod nisi ibi res breui expediantur, & nihilominus bellum in Belgio resumatur, huc reuocandus sit, ibique alius successurus. Quod & ego satis vero-simile puto, quia in Germania superiore facilius inueniretur aliquis, qui eius locum tueretur, quam qui in Belgio: ibi enim hostis minus periculosus, versatus est & callidus, quam hic. Duriori autem nodo quærendus est durior cuneus.

Marchionem Spinolam sequuntur deinde plures alii egregii ex diuersis nationibus Duces & Præfecti, quorum multi etiam, propter magnum animum & fortia facta, iam ex fama satis noti sunt.

Ex inductis itaque constat, quod à parte Regis media sufficientia sint ad quoduis acre & diuturnum bellum gerendum.

Sed forte dicet aliquis, quod etiam ab altera parte sint media sufficientia ad se defendendum, & quod ille, qui bello alium vult offendere, debeat esse melius instructus, quam qui se tantum defendit, si aliud non potest; imo & alteram partem satis instructam esse ad offendendum.

Dico primum, quod de nullo eorum, quæ hactenus enumerata sunt, aliquis prudenter discurrere & probare possit, quod hostis sit superior.

Dico deinde, quod etiamsi forte in aliquibus sit quasi æqualis: tamen si aliquis velit ordine cum ratione comparationem instituere, inueniet quod hostis in plurimis sit inferior, in aliquibus ne quidem comparandus. Id quidem alicui partim ex dictis, partim ex proprio discursu facile patere posset: exactior tamen comparatio etiam à nobis postea proposit. vltima instituetur.

PROPOSITIO V.

Imperator, quantum potest, tenetur confœderatos Status Belgij ex prouincijs Imperij extra Belgium sitis profligare.

IMperator enim tanquam Summus Princeps Imperij tenetur illud secundum omnes vires suas in vnitate atque integritate conseruare; adeoque si qui prouincias Imperij contra omne ius fasque inuadant & occupent, tenetur eos inde profligare.

Iam autem confœderati Status Belgij multas prouincias Imperij hostiliter contra omne ius & fas inuadunt & occupant. Nihil dicam adhuc de inuasionibus, per quas tantum rapinas in prouincias Imperij exercent, indeque iterum abeunt. Quamuis enim in hoc etiam plane sint iniusti & barbari, vt vicinæ prouinciæ satis nouerunt: tamen forte dici posset, quod melius sit multa dissimulare, quam propterea exercitum in finibus constituere; vel quod hîc aliud adhuc medium inueniri possit: imprimis, quia ipsi Status fatentur & debent fateri, quod hoc iniuste fiat, illudque in insolentiam militum referre

possint;

possint; quam tamen an illi prohibeant, impediant & puniant, ego valde dubito, imo potius experientia clamat, quod non. Dicam ergo tantum primario de illis prouinciis, quas inuadunt, occupant, obstinata & iniusta vi iuri Imperij subtrahunt. Quid enim, quæso, iuris habent in ciuitatem Emdanam, Ducatus Iulij, Cliuiæ & Montium, Marcam & alia loca ad Imperium spectantia? si enim aliqua lis ibi fuit decidenda, vel si erat dubium: quisnam esset iustus hæres; huius rei tam iudicium, quam postea executio pertinuit ad Imperium & Imperatorem, non vero ad Status illos confœderatos.

Dicunt forte, quod iustam, claram, & decisione Imperiali non indigentem causam inuerint. Atqui Imperator & Principes Imperij dicunt contrarium, & quod res dubia sit. Quis vero constituit illos vilissimos & iniustissimos homines Iudices super Imperatorem & Principes? Imo etiamsi res in se clara esset, fuit tamen lis, & adhuc est, inter partes, quam componere spectat ad Imperatorem.

Vel forte benignius dicunt, quod Iuri Imperij nihil velint præiudicatum sed quod tantum loca illa occupauerint, ne parti, à qua ipsi stant, à competentibus aliquod præiudicium ante litis decisionem fieret; propterea etiam adhuc tenere, ac eo vsque retenturos, donec ipsis eorum impensæ restituantur.

Sed quam vana hæc? Nemo ex competentibus vllam vim contra prouincias absque proximo hærede relictas tentauit, nisi Status ipsi, & Principes, qui eorum auxilio hoc ausi fuerunt. Deinde Imperator voluit ibidem ex officio suo sequestrum vsque ad litis decisionem constituere, promittens sub fide publica, quod nemo deberet in iure suo impediri. Quando autem Imperator resignauit in ipsos officium suum, vel quis constituit ipsos sequestros? & quare Imperatoris fidei publicæ non crediderunt? Imo quare serenissimum Imperatoris Sequestrum, Archiducem Leopoldum cum maxima iniuria reiecerunt & eiecerunt? & quomodo iustum putabunt in sententia ferenda, quem iniustum putabant in Sequestro ponendo? Voluerunt scilicet ius armis præscribere, data occasione sibi alienas res acquirere, & tenere, vt facile patebit, si ipsis aliquid contrarium decideretur. Impensas eorum quod attinet; pro his jam abunde sibi satisfecerunt reditibus & rapinis ex illis prouinciis, etiamsi ipsis deberetur aliqua impensarum restitutio.

Sed

Sed de iure ipsis nulla debetur: quæ enim nequitia est, aliquid iniusto labore occupare vt postea velis habere restitutionem?

Idem ius vel potius minus habent ad illud castrum seu propugnaculum, quod à non multo tempore in Insula Rheni infra Bonnam in magnum præiudicium totius Imperij, magnamque principalium ipsius Statuum, imo omnium Catholicorum ignominiam extruunt.

Tenetur igitur Imperator eos tanquam hostes & turbatores Imperij, quantum potest, ex locis occupatis expellere.

PROPOSITIO VI.

Imperator, quantum potest, etiam Regem Hispaniarum ad bellum contra confœderatos Status in Belgio prosequendum iuuare tenetur.

I. NAm Imperator habet grauissimas actiones contra harum prouinciarum Status, ex quibus ipse iis bellum pro se inferre posset. Nam præterquam quod ex prouinciis & locis Imperij Belgæ illi expellendi sunt, etiam in ipsos licite vindicari potest ignominia & iniuria, quas deprædando, occupando, oppugnando, illudendo hactenus in Imperium, Imperatorem, Principes & Status Imperij exercuerunt.

Status item confœderati in omnibus bellis, quæ Imperator modernus iuste hactenus pro communi Imperij & suo bono gessit, hostiliter se habuerunt. Ergo Imperator iterum ad vindicandam hanc iniuriam hostiliter contra eos iusteque se habere potest. Patuit vero eorum hostilitas satis in Istria, Bohemia & Palatinatu. Quicquid enim potuerunt facere contra Imperatorem, hoc fecerunt, & adhuc libenter plura facerent, si possent. Et quidem id non est valde mirum: aues vni-colores volant simul; osores domus Austriacæ, rebelles, iniusti, Caluinistæ. Quapropter eos Imperator forte adhuc habebit pro excusatis.

Quia ergo Imperator tam iustas causas, antiquas & recentes, habet ad Status etiam in prouinciis Belgij oppugnandos, & tamen quia Rex, cuius dominio propinquius subsunt, ipse eos punire intendit; sic sal-

ſic ſaltem Imperator Regem ad finem ſuum conſequendum merito iuuare debet.

Imperator maxima auxilia in ſuis bellis contra ſuos rebelles à ſereniſſimis, Rege Hiſpaniarum & Archiduce Alberto habuit & habet, vt omnibus ſatis patet. Ergo ipſis iterum ex gratitudine auxilia contra ipſorum rebelles præſtare tenetur. Ingratitudo enim & obliuio beneficiorum in tantum Principem non cadunt. II.

Imperator, ſi non tanquam Imperator, tamen tanquam Caput & primus Princeps Sereniſſimæ familiæ Auſtriacæ, ad eius iura, bona & honorem contra iniuſtos inuaſores propugnandum iuuare debet; & ſic quia, præter proprias, etiam ſecundario læſus eſt in cauſis illis, quas Rex Hiſpaniarum contra Status ſaluare debet, ſecundario quoque ſeu per auxilium ad hoc bellum concurret. III.

Maxime vero etiam Imperator tanquam Imperator authoritate, conſiliis & auxiliis ſuis huic bello interuenire debet, atque ad Regiam cauſam, tanquam iuſtam, euincendam concurrere: quia Belgium magna ex parte eſt beneficium ſeu feudum Imperij, imprimis quoad partes confœderatas. Superbi vero rebelles, nec diuinum nec humanum ius amplius curantes, etiam huic iuri ſe ſubtrahunt: adeòque non tantum S. Eccleſiæ & Regi Hiſpaniarum; ſed etiam Romano Imperio & Imperatori ſunt rebelles. Omnino itaque Imperatoris etiam officium eſt ſtrenue curare, vt tam enormis rebellio comprimatur ac euertatur. IV.

Quod autem dixi de Imperio & Imperatore vt tali, etiam conuenire Principibus & Statibus Imperij, patet ex cauſis alibi adductis; propter quas nimirum Principes & Status Imperij Imperatorem in iuſto bello iuuare teneantur.

Singulariter vero hoc concernet aliquos eorum, qui peculiariter in bonis, iure, & honore à Statibus Belgij confœderatis læſi ſunt. Pulcre igitur ſatisfaciunt officio ſuo, qui eos in Imperium adducunt, ipſorumque iniuſtitias confœderationibus fouent.

Poteſt ex hactenus dictis etiam colligi, quam conueniens ſit, vt reliqui Reges, Principes & Reſpublicæ vel fauore ſuo, ſi alio modo non velint, Regium bellum proſequantur: quia ab eius parte vident cauſas tam iuſtas & ratione plenas; ab altera vero parte nihil niſi rebelliones, iniurias, dolos, fomenta rebellionum, oppreſſiones Regum, Principum & Rerumpublicarum.

PROPOSITIO VII.

Nemini licet sub peccato mortali, contra Regem Hispaniarum Statibus confœderatis Belgij militare, vel cum eis fœdera inire, vel eos quocunque modo iuuare.

SVo enim legitimo Magistratui rebellare, alteri bona & iura sua iniuste auferre ac detinere, alterius honorē, præsertim Regiā Maiestatē lædere sunt ex genere suo peccata mortalia; vti notum est passim apud Theologos de materia peccatorū agētes, nec opus citare authoritates. Imo quod hæc sint grauia peccata, est de iure naturæ, quod sint mortalia, est fide certum. Talia autem Status illi contra Regem insigniter faciunt, vt ante visum, nec vllo modo possunt ex paruitate materiæ excusari. Constat autem similiter, quod qui alteri in malo cooperatur, fit eiusdem criminis reus. Omnes itaq; qui dictis modis Statibus contra Regem Hispaniarum cooperantur, iniustamque causam defendunt & promouent, peccabunt mortaliter.

Hoc vero argumentum debet esse valde magnum apud Catholicos, qui admittunt & ponderant grauitatem peccati mortalis. Vt de bene faciunt, vti quoque eos ego facere audio, Sacerdotes Catholici circa prouincias confœderatas confessiones audientes, quod absolutionem negent illis, qui causam Statuum tempore belli (Induciarum enim tempore non censentur esse hostes) defendere pergunt, ac cum tali proposito confitentur. Illis enim, quos in proposito peccati mortalis manere constat, absolutionem dare est sacrilegium. Miror itaque quid cogitent Consiliarij, Theologi & Confessarii aliquorum Catholicorum, qui omnibus modis Status hactenus iuuerunt: imprimis cum præter hæc videre etiam debeant, prætexant quicquid velint, quod iuuando Status iuuent opprimere Ecclesiam Catholicam. Qui autem affligunt Ecclesiam Matrem, qualem putant, quod Deum habebunt Patrem? Grauiorem eum vindicem habebunt, quā ipsi rebelles hæretici.

Reliqui autem Ecclesiam Catholicam parui facientes, siue Lutherani siue Caluinistæ, qui non admittunt distinctionem inter peccatum mortale & veniale, neque communiter, præsumtioni de certitu-

titudine suæ salutis innixi, ex vllo peccato magnũ scrupulũm sentiunt, debent vel saltem moueri ex honestate & virtute quadam naturali: quod nimirum coram honesta & ingenua aliqua natura inhonestum & abominabile sit iustam causam opprimere, iniustam defendere.

Quia tamen nihilominus multi, & Catholici & alii, faciunt contrarium, debebunt sine dubio titulum aliquem habere, cuius prætextu id faciant. Is vero nullus alius esse potest, quam quod dicant cum Statibus, quod Rex ceciderit iure suo, & quod legitime ab ipsis sit abdicatus; vel saltem quod hoc ita sit dubium, vt ius vtriusque partis non possit discerni. Quod quidem hoc dicant Status, ipsorumque similes, non est tantopere mirum: quia postquam sunt rebelles, debent aliquid dicere ad tegendam rebellionem. Quod vero idem hoc aliqui magni viri, veritatis virtutisque amantes, imprimis Catholici, credant & dicant, id summopere est mirum. Deberent sane melius inquirere, rem tanti momenti penitius introspicere, propter amorem integritatis, suæ salutis, boni totius Christianitatis, affectui cuidam Politico & Chimerico non nimis tribuere, sed plus iustitiæ & veritati: Bene tamen est, quod cum gaudio bonorum aliqui resipiscant: plurium oculos Deus aperiat.

Quomodo autem in hoc, si quod est, dubio sibi satisfacere possint illi, qui adhuc sunt aliquo modo sinceritatis & veritatis Studiosi, in principio dictum est. Vt vero etiam peruicacibus satisfieret, de Regia causa & communi bono non male mereretur, qui hanc quæstionem, An Rex iure suo in prouincias confœderatas ceciderit, & An legitime ab ipsis sit reiectus, ex rerum gestarum exacta cognitione, ex Iure naturali, Diuino & humano clare euolueret. Non dubito, quin ita tractari posset, vt aduersariis ne quidem species iustitiæ remaneat. Miror vero, quod Regii belli in Belgio, vt multi Catholici conqueruntur, nondum sit edita exacta historia; quæ vel sola hoc satis præstare posset, vel saltem pro similibus discursibus deberet esse fundamentum.

PROPOSITIO VIII.

Rex Hispaniarum bellum contra confœderatos Status in Belgio aliquando resumere tenetur.

PLus continet hæc propoſitio, quam tertia: per hanc enim Rex iuri ſuo non tantum probabiliter non renunciabit, verum & ne quidem ei renunciare debet; adeoque ne ſit inutile, debebit id ſaltem aliquando vigere, & bellum reſumere.

Ad id vero probandum, ſuppono primum quod Status non per vllam æquam compoſitionem ad naturalem & legitimum ſuum Dominum redire velint; vt ſatis patet ex rebus & olim geſtis, & nuper, cum Archidux Albertus, tanquam Princeps prudens & Chriſtianus, per Cancellarium Peckium ipſis Hagæ comitis ad vitanda bellorum mala id fecit proponi. Sed tantum abfuit, vt aliquid apud ipſos effecerit, vt eum etiam nugaci aliquo reſponſo eluſerint, velut ante viſum; & vt aliqui eorum hoc, ſuo more, ſiniſtre interpretati fuerint, quaſi altera pars ex puſillanimitate quæſierit pacem. Sed quam falſum hoc ſit, patet clare ex eo, quod ipſis poſita fuerit conditio de redeundo cum reliquis prouinciis ſub vnum corpus & ſub vnum caput. Si tamen adhuc vllis æquis conditionibus ad mentem redire velint, non eſt dubium, quin pax bello ſit præponenda.

Suppono ſecundo, quod Rex vel ſaltem aliquando habebit ſufficientia media ad reſumendum bellum; ſi forte iam propter difficultates temporum ea necdum haberet; id quod etiam ſatis patet ex tanta potentia Regis. His itaque præſuppoſitis probatur propoſitio ex grauitate cauſarum, in quibus ius Regis contra Status conſiſtit, quæque explicatæ ſunt Propoſ. prima.

I. Eſt quidem iuſtiſſima cauſa ad bellum gerendum, quod Status bonam partem Belgii Regi detineant, quodque ipſi magnorum ſumtuum damnum intulerint; an tamen propter eam id reſumere teneatur, ego non facile dicerem. Poſſet id enim pertinacia hoſtium & munitione locorum in tantos ſumtus & labores excurrere, vt etiam ipſa victoria non eſſet multum lucroſa, & ſic forte non imprudenter hoc ius poſſet relinqui. Coniungo ergo hic periculum aliorum bonorum Regis, totius imprimis Belgii, quod illi totum in ſuam Rempubl. trahere aſtu vel vi ſub variis prætextibus nunquam ceſſabunt, ſi alias ipſorum naturam noui. Deinde ſi Statuum potentia creſcat, imo niſi minuatur, ipſorum ſuperbia & auaritia tanta eſt, vt & per ſe & cum aliis potentiæ Hiſpanicæ hoſtibus Regem in aliis ſuis ditionibus inuadere auderent, ſi non in Europa (etſi neque illam immunem relinquerent, ſi poſſent) attamen potiſſimum in Indiis, vbi duræ quidem

iam multa moliuntur, quanto plura, potentiores facti, molirentur, ostendunt. At si Rex nunquam vellet bellum in prouinciis Belgii prosequi, tum Status possent interim captare commoditatem Belgium ad se trahendi, ac possent paulatim plus & plus in nauigationes Indicas impendere, ac Regi ibi maiora pericula intentare. Etiamsi itaque Rex hîc ius suum hæreditarium resignare posset & vellet, tamen ne & reliquis suis prouinciis per id periculum creetur, id facere non debet, sed potius bellum resumere, vt & has prouincias recuperet, & reliquis de securitate prouideat.

Quia Rex grauiter læsus est à Statibus in Maiestate sua, debet eam imprimis defendere & violatores punire. Quo enim persona magis publica est, in officio, ac aliorum oculis posita, eo magis debet contumeliosos in suum honorem compescere, ne inde multa mala in publico consequantur. Quanta vero sit persona Regis, non opus est dicere. Si vero toleret læsionem Maiestatis suæ, multa mala inde sequuntur; videlicet, quod & reliqui eius subditi, & reliquorum Regum ac Principum inde accipiant pessimum exemplum idem faciendi ac similiter rebellandi. vti etiam re ipsa iam potuit. II.

Vel saltem omnes Reges & Principes incipiunt esse in minore æstimatione apud inferiores; quod pro communi bono primarum Rerumpubl. auertendum.

Deinde Regia Maiestas non esset in tanta authoritate, nec tanta integritatis æstimatione, sicuti debet, apud multos alios Reges & Principes & Respubl. sicuti quoque iam alicubi apparuit, quamuis apud hæreticos tantum, & alios hactenus non satis Christiane Politicos. Imo per hoc Magna Serenitas totius Domus Austriacæ simile detrimentum incurreret. Quantũ vero hoc malum sit pro tota Christianitate, facile animaduertent Catholici, qui defensionem Ecclesiæ, quantum ad brachium seculare, vt plurimum ex Domo Austriaca pendere, adeoque eidem suam authoritatem amplissimam conseruari & augeri debere vident.

Legitimus Catholicus Magistratus in Republ. sua primario attendere tenetur, vt fidem Catholicam inter suos subditos conseruet, & hæresin impediat; si non possit ex toto, saltem ne hæresis regnet, & saltem ne fidem Catholicam pellat & extirpet. quod ius ne quidem vlli hæretici Catholicis negare possunt, quia id etiam sibi vsurpant. Atqui iam in prouinciis confœderatis Belgii, quarum Rex Catholicus III.

legitimus est Princeps, non tantum hæresis regnat, sed & fidem Catholicam, quantum potest, pellit & extirpat, idque imprimis contra expressa promissa & pacta cum confœderatis Belgis etiam tempore turbarum facta. Rex itaque ibidem potissimum de bono Catholicæ religionis debet prouidere.

Sunt & alia, quæ huius argumenti vim valde confirmant, nimirum.

1. Quod Rex Hispaniarum nomine à sede Apostolica accepto vocetur per excellentiam REX CATHOLICVS: Vnde merito nomini suo sibi per Vicarium Christi indito, quantum potest, nullisq; laboribus parcendo, satisfacere debet, ac Catholicam religionem promouere.

2. Habet ad hoc præclarum calcar ex Magno Parente & Antecessore suo, felicis memoriæ, PHILIPPO II. qui omnibus modis laborauit, vt fidem Catholicam sartam tectam in Belgio conseruaret; imo si voluisset aliquam libertatem hæreseos post exercitiũ religionis Catholicæ permittere, potuisset sibi omnes prouincias subditas & pacatas retinere. Sed ex singulari zelo ne hoc quidem voluit. Quanto magis igitur dignus Eo Filius & successor in id saltem incumbere debet, ne exercitium religionis Catholicæ multis prouinciis suis omnino pellatur, sed vt potius bona ex parte, si tempora hæc plus non ferunt, restituatur.

3. Quilibet cum suis bonis ita debet agere, vt potissimum cedant in gloriam Dei & salutem animarum. Merito igitur Rex Hispaniarum debet & in prouincias suo regimini à Deo commissas fidem Catholicam introducere, ac in id impendere, quicquid à sui status, reliquorum regnorum & prouinciarum conseruatione superest, etiamsi impensæ deberent excedere ipsum valorem prouinciarum deuincendarum.

Gloria enim Dei & salus animarum non est comparabilis auro & argento.

4. Ne dicam hic de aliis Principibus Domus Austriacæ, etiam singulariter Dominus Deus propter hunc finem modernos Reges Hispaniarum fortunasse videtur, & quidem occasione turbarum in Europa. Nam eo ipso tẽpore quo populi Europęi Magistratui Ecclesiastico rebellabant, atque inter eos Belgæ demum etiam simul Politico, Deus ter Optimus non tantum Hispaniarum regnum ipsis integrum,

aliaque

aliaque regna & prouincias in Europa concessit, sed etiam in rebus Indicis magnum incrementum dedit, ita vt ibi longe plura reciperent, quam hic perderent. Quod ego præter immensam bonitatem Dei, etiam imprimis propter duas causas factum esse arbitror.

Nimirum, quia Deus propter bonorum Catholicorum probationem & propter malorum punitionem, in Europa, adeoque in vtraq; Germania vellet rebellionem & hæresin permittere; & tamen, ne bonorum zelus, Regum Catholicorum maxime, esset frustraneus, dedit suis alibi bona longe maxima, & commoditatem plures ad Catholicam fidem perducendi, quam non tantum in Belgio, sed & in tota Europa (Mira Sapientia!) defecerint. Deinde vt ex bonis receptis Reges Catholici Ecclesiam contra inualescentes hæreses defenderent; adeoque tum alios Catholicos iuuarent, tum ea potissimum, quæ sibi per hæresin & rebellionem erepta essent, recuperarent.

5. Si tamen Rex Catholicus videns tam vrgentes causas bellum vrgere nolit, sed vsque & vsque cogitet meliorem esse pacem in diebus nostris, atq; interim permittere vt hæresis & rebellio in suis prouinciis regnare pergant; videat ne gladius, qui ab ipso contra hæreticos & rebelles subditos suos deberet verti, vel ab his vel ab aliis vertatur contra ipsum: videat, per amorem gloriæ Dei quæso, ne vox aliqua, siue expressa siue occulta, ipsi ad aures veniat, dicens: *Quia fecisti hoc, non recedet gladius à Domo Tua in æternum.* Terribile est ipsius Dei iudicium in regem Israel: *Quia dimisisti virum dignum morte de manu tua, erit anima tua pro anima eius, & populus tuus pro populo eius.* Hæc vero vti ego sincere dico, ita sincerissime à Rege, si ea legeret, accipienda fore non dubito: vti neque dubito, quin alias absque tam acri ratione monitoria facturus sit, quod Regem Prudentem & Catholicum decet.

Interim volui dicere de re, vti in seipsa est, atque vt Lector videat, quod veritatis, non adulationis studiosus sim.

Ne vero confœderati Status ex hoc argumento terreantur, & dicant se ad bellum cogi, eo quod religio ipsorum, & ipsi extirpari quærantur; possunt cogitare, quid ipsis nupertime ab Archiduce Alberto oblatum sit; nimirum quod redituri ad vnitatem Capitis & corporis Politici in tractatione de libertate religionis æquum & clementem Principem habituri sint. De qua si conueniatur, atque illis vllo modo pax honesta placeat, quin ea inuiolabiliter seruanda sit, non est quod ambigant. Bene tamen possunt & hoc cogitare, quod exilium

reli-

religionis Catholicæ non tolerabitur: neque hoc dissimulamus. & quid æquius?

IV.

PROPOSITIO IX.

Bene consultum videtur, vt bellum in Belgio tam diu differretur, si commode fieri posset, donec res in Imperio, Palatinatu præsertim, & Hungaria, essent compositæ; alias vt quam primum resumatur omnino consultum videtur.

I. Prior pars Propositionis probatur per duas graues causas.

Quia nimirum Archidux Albertus habet commissionem faciendi executionem in Palatinatu inferiore; ideo debet eo & multum militem & alium apparatum bellicum destinare; & sic disperguntur vires, quas vnitas & Ipse & Rex Hispaniarum in Belgium conuertere possent. Si vero bellum hic tam diu differretur, donec ibi res essent peractæ, tum demum posset hic acrius resumi.

II. Quia supra probatum est, quod Imperator, quantum possit, teneatur & confœderatos Status ex aliis prouinciis Imperii profligare, & Regem Hispaniarum contra ipsos in prouinciis confœderatis iuuare; sic etiam non dubito, quin Imperator pro Maiestate & virtute sua aliquid facturus sit, quam primum per alias & proprias res, quibus iam occupatur, id ei licebit. Non vero facile poterit, antequam res in Hũgaria sint compositæ; quia ibi interim adhuc magnas vires alere debet. Rebus autem ibi compositis bonam partem potentiæ suæ contra Status dirigere, atque sic coniunctis cum Rege Hispaniarum & Archiduce viribus eos oppugnare posset: quibus an illi tum diu resistere possent, cordatus aliquis iudicet.

Dixi vero, *si commode fieri posset*. v. g. si bellum tam diu ab vtraque parte penderet, ita vt vix aliquid tentaretur; vel si induciæ adhuc per annum vel circiter prolongarentur: diutius enim res in Hungaria & Palatinatu fluctuare non posse, verosimile est. Si tamen hoc commode fieri non possit, & hostis in tam breuem prolongationem consentire nolit; tamen & sic bellum quam primum resumi consultum videtur, vt

tur, vt ſtatim videndum in ſecunda parte propoſitionis, ad cuius probationem ſic venio. ⊙ Si ſcilicet bellum iam non reſumatur; vel facienda erit pax perpetua vel longiores induciæ. Pax perpetua fieri non poteſt, niſi Status redeant ad obedientiã, vti ipſis propoſitum ab Archiduce Alberto, & vti patet ex præcedentibus diſcurſibus: hoc vero ſi velint facere, vti iuſtum; bene eſt, & ſic non opus erit bello. Sin autem longiores induciæ faciendæ, vel id fieret ſub priſtinis conditionibus, vel ſub melioribus à noſtra parte; peiores enim quis acceptaret? Conditiones, meliores poſſent eſſe hæ, vt Regem ſaltem aliquo modo agnoſcant ſuperiorem, vel vt ſaltem Catholicis dent aliquod liberum exercitium religionis, &c. Si enim tales non eſſent, vix eſſent dignæ, vt vocarentur meliores. Et quidem vt ſub talibus induciæ in aliquot adhuc annos prolongarentur, forte non eſſet diſſuadendum. Sub priſtinis autem vel ſimilibus conditionibus induciae non prorogari, ſed potius bellum reſumi debere conſultum videtur.

Si enim hoc fieri non deberet, id eſſet imprimis propter cauſam dictam, quia ſcilicet illa duo magna auxilia per tempus necdum poſſent haberi. At hæc cauſa non eſt ſufficiens. Vires enim quæ à parte Regis iam ſunt in Belgio, ad minimum ſunt æquales viribus hoſtium; & ſi non poſſunt durante illo tempore hoſtem tam acriter oppugnare, tamen ad ſua defendenda ſunt plus quam ſufficientes. Imo etiamſi adhuc diutius auxilia illa abfutura eſſent, tamen & exceptis iis apparatus Regius in Belgio tantus eſt vt etiam ad oppugandum ſit ſufficiciens. Et forte etiam alias non inconſultum, eſſet, vt bellum remiſſius inciperetur, & acrius continuaretur. I.

Rex tenetur aliquando reſumere bellum, vti probatum; & iam ad illud reſumendum habet vel habere poteſt media ſufficientia, vti ſimiliter probatum. Ergo non eſt maior ratio, quare id poſt multos annos reſumat, quam iam: quia eadem ratio erit etiam tum. Et ſic optime quadrabit illud: II.

Qui non eſt hodie, cras minus aptus erit.

Rex habet iam aliqua fortia media, quæ vel fortaſſis vel omnino poſt aliquot annos non habebit. Eſt nimirum pars magna huius belli prudentiſſimus Spinola: ſed mortales ſumus, & præterea interim ætatis incommoda ſuperuenient. Idem dicendum de aliis rerum peritis & antiquis militibus, in hoc eodem bello exercitatis. Item alia præclara auxilia, quæ iam ſunt vel breui erunt in promtu, iterum diſſipa- III.

D rentur.

rentur. Et sic potius bellum iam resumendum quam olim.

IV. Idem iam flagitare videtur communis consensus Catholicorum. Quotquot enim ego audiui cum aliqua ponderatione vel ratione hac de re discurrere, omnes fere optāt pro bono Ecclesiæ, ne induciæ prolongentur. Imo hoc potissimum optant illi Catholici, qui iam oppressi degunt in prouinciis confœderatis, vel qui inde oriundi alibi habitant; nisi quod forte aliqui inducias adhuc vnius & alterius anni bene laudarent. Et ne forte putetur, quod hoc faciant non tam ex amore boni communis quam priuati, refero voces Catholicis dignissimas; quod nimirum, etiam si aliqui adhuc bona sua habeant in illis locis, vbi damna bellorum maxime sentiuntur, & sic propter priuatam causam inducias præferre velint; quod tamen propter amorem boni communis hoc non facere, sed potius, modo bellum resumatur, damna bonorum suorum libenter sufferre velint, vt in priuatis pauperiores, in publicis fiant ditiores.

V. Si Rex bellum iam resumat, est ipsi probabilis spes victoriæ. Ergo iam est omnino resumendum. Sed de hoc videatur in proposit. sequenti.

PROPOSITIO X.

Si à Rege Hispaniarum contra confœderatos Status Belgij hoc tempore bellum resumatur, pro successu à parte Regis est probabilißima spes victoriæ.

EVentus bellorum maxime dubius quasi in prouerbium abiit; ita vt eum aliquo modo certum velle prædicere prorsus temerarium sit: quamuis tamen de eo non imprudenter & pro diuersitate rationum magis vel minus probabiliter aliquem coniectari posse non negem. Nihili vero hic facio prædictiones Astrologicas, quæ ex thematibus seu figuris annorum Cardinalibus ab Astrologis eliciuntur, vtpote ad minimum vanas & nugatorias; quicquid tandem alias sit, sano modo, de iudicio genesium & tempestatum. Sapientiores coniecturas Christianus aliquis Politicus afferre potest. Talium igitur pulcras aliquot & felices pro nostra propositione probanda nos quoque in medium producemus.

I. Certum est quod victoria non sit à casu, sed à prouidentia Di-

uina.

uina. Deus autem ordinarie hic in terra, quia iustus est, etiam iustæ causæ demum victoriam largitur, quamuis tamen eam aliquando propter occulta sua iudicia premi permittat: Iniustitias autem, graues præsertim, etiam hic in terra plerumque vindicat. Ni vero iusta causa à nostra parte sit, victoriam non precamur. Quod vero & apud nos iusta sit, & apud aduersarios grauiter iniusta, iudiciis sinceris notum est, patetque ex præcedentibus. Merito ergo & Deum nobis adiutorem, & aduersariis vindicem precamur & speramus. VI

Dicent aliqui & forte impij aduersarij cum risu, quod à parte Regis iam eadem causa sit quæ olim, nec tamen tum eam fuerit secuta victoria, & sic non esse maiorem spem in posterum. His si boni sunt, respondeo verbis Ecclesiæ; *Constantes estote, & videbitis auxilium Domini super vos*: sin vero mali, hoc modo; *Diuina pœna sæpe tarda venit, sed certa, & quo tardior eo grauior.* An tamen tempus auxilij & pœnæ forte iam venerit, hoc colligetur ex sequentibus rationibus seu coniecturis, quarum tres priores meliorem totius Ecclesiæ Statum primario significant.

Pater vsurpat virgam, quam diu filius malus est: quando vero se corrigit, eam proijcit in ignem. Non autem est dubium, quin hæretici & rebelles sint virgæ furoris Domini, per quas Catholicos punit, quando sunt filij mali & immorigeri, quales vt plurimum hactenus fuerunt, tum alibi vbi virgæ hæ grassatæ fuerunt, tum etiam in Belgio. Et imprimis videtur ortum esse malum ex illis, qui debebant esse filij magis dilecti, aliorumque ductores, Clericis nimirum. At Catholici tum alibi, tum qui remanserunt in locis infectis, & imprimis Clerici iam videntur se correxisse, quantum quidem vltimis his temporibus humana imbecillitas in integris Rebuspubl. permittit; vel saltem strenuo in id laboratur ab iis, quorum hoc est officium. Speramus ergo, quod Deus tanquam benignus Pater breui virgas has proijciet in ignem, siue furoris, siue, quod magis optamus, charitatis. Inter has autem virga Belgica vti grauissima est, reliquasque multum in vigore conseruat; ita imprimis de hac id speramus. II.

Imo clementissimus Deus ipse ostendit, quod iam demum ad Ecclesiam Sponsam suam & nos filios suos velit conuerti. Claret id pulcre ex mirabili & celebri illa victoria, quam nuper serenissimis Domibus, Austriacæ & Bauaricæ in Bohemia concessit, quamque tum felix rerum successus non tantum ibi, sed & in vicinis aliisque III.

prouinciis vel consecutus est, vel & antecessit, qualem vix tam breui spacio à Diuina benignitate sperare potuissemus. Vti autem tum Deus maior fuit corde nostro; sic & sperandum est, quod in posterum futurus sit, modo arma spiritualia cum ferreis sedulo coniungere pergamus. Et quidem iam magis sperandum est, propter feruidas gratiarum actiones, & solennes laudum decantationes cum magna populorum lætitia Deo victori immolatas; quas nouorum beneficiorum impetrationes aliquis non male interpretatus fuerit. Multum quoque hoc ipsum confirmauit magna illa victoria, quam Deus interim Regi Poloniæ contra Turcam, maximum Ecclesiæ hostem, largitus est.

IV. Idem DEVS adhuc aliunde magnam nobis spem facit, quod videlicet tam in Statu Ecclesiastico quam Politico nobis Principes seu Capita dederit, quorum fortitudo, prudentia, pietas & reliquæ virtutes sunt heroicæ. Summum enim Caput nostrum GREGORIVS XV. Pontifex Maximus nuper electus vbique prædicatur de senili piaque prudentia, & cum gaudio proclamatur Tanto Prædecessore suo dignus Successor. Quantus autem fuerit B. M. PAVLVS V. neminem latere potest propter tam felix regimen diu continuatum. Est deinde tot DVRA FINDENS, Inuictissimus Romanorum Imperator, FERDINANDVS II. qui & hominibus & rebus veritatem attestantibus, publice audit de se elogium illud Dei de Dauide, quod sit *Vir secundum cor Dei*. Potentissimus Hispaniarum Rex PHILIPPVS III. talem filium Ecclesiæ se ostendit, qui & Pater nutritius merito appellari possit. Sic si quis vlterius ad alios vtriusque Status Principes descendendo inquirere velit, miram virtutum harmoniam vtrobique inueniet; vti & mediocriter notum esse potest cuilibet, qui in rebus, quæ iam geruntur in mundo, non omnino ignotus est. Inter reliquos vero tum alias, tum quia hic de negociis Belgicis agimus, singulariter attendatur ad venerandum illum senem, Archiducem Serenissimum, Albertum; quem imprimis pietas & humanitas commendant. Ecquis igitur Catholicorum iam non animosam spem concipere debeat? cum exemplis, experientia, & ratione constet; quod, quando Deus populum aliquem vult iuuare, dat eidem bonos Principes; quando punire, permittit malos. Bonos dedit; iuuabit.

Hæc vero iam scripseram, cum venit triste nuncium de morte

Regis

Regis Hispaniarum. Dolebam intrinsecus: nam omen meum mihi turbare velle videbatur. Animum tamen cum ratione resumsi. Reliquit enim Filium, Nominis, Regnorum & virtutum hæredem, quem & tanquam singulariter animosum contra suos & Ecclesiæ hostes laudari audio: nec alius esse potest, qui Rex Catholicus Regum Catholicorum dignissimus est Filius. Imo iam talia de se dat indicia, vt non obscure probet eum sibi animum & à natura innatum & à virtute formatum esse, quo decora Domus suæ non tantum conseruaturus sit, verũ & amplificaturus. Ac etiamsi quidem adhuc opus habuisset maturi Patris prudentia & consiliis: tamen hoc damnum, præter proprias Regis iunioris virtutes, etiam aliunde suppleri posset. Sunt nimirum alij, quorum prudentiã & consilia sequi potest; statim quippe eos nominauimus. Est imprimis Gregorius Pontifex Max. quem sicuti Pater tanquam Patrem venerabatur, ita cum maiori reuerentia id faciet Filius; atque id semper faciet erga omnes in Paterna illa Sede successores. Sunt deinde Imperator Ferdinandus & Archidux Albertus; qui vt Patri tanquam Fratres fuerunt, ita iam merito sunt Filio tanquam Patres. Habet denique & alios viros magnos, quos Pater fideles & prudentes expertus est; quorum opera etiam Filius magna cum laude vti potest. Sic itaque non turbatur omen meum, sed potius confirmatur; cum videamus rationem ominis, virtutes scilicet Patris continuari & crescere in Filio; neque tamen adhuc deesse Patrem.

Ne tamen quis luctum priuatum in Domo Regia ad malum omen trahat, ei sic obuio; quod nimirum luctus ille præter varia solatia, quæ apud solidos Christianos ex conditione humanitatis & spe melioris vitæ habet, etiam tantum abest vt sit malum omen in publicum, vt etiam sit bonum. Deus enim ex sapientia sua communiter non dat magna bona, qualia sunt publica, nisi bene exercitatis. Exercitatio autem imprimis etiam fit ex amissione parentum & filiorum. Non opus est conquirere exempla externa; Rex Catholicus habet præclarum exemplum Domesticum ex Magno suo Auunculo Imperatore. Hic enim non diu post eleuationem ad Maiestatem Cæsaream, quando turbæ ipsius incipiebant fieri grauissimæ, perdidit simul Filium suum primogenitum. Vti ergo Imperatori luctus priuatus fuit, ac est, ita Regi sperandus est futurus, bonum publici boni omen.

Agemus deinceps de mediis potentiæ, prudentiæ, & commodita-

tis humanæ ad hoc bellum concurrentibus, in quibus etiam Regis partes vbique fere superiores & nullibi inferiores esse; adeoque & inde victoriam ad eas magis inclinaturam probabilissime dicimus.

V. A parte Regis Hispaniarum quando prudenter res suas disponet (de cuius contrario non est ratio suspicandi) propter magnam potentiam Regis non poterit in pecunia esse defectus. Fuit quidem olim non leuis hac in re defectus: sed iam alia sunt tempora; antiqua non recurrent. Res ista iam per fideliores & prudentiores manus administratur. Præ aliis hic Marchio Spinola præclaram suam operam fideliter locat. At vero impossibile est Statibus confœderatis, vt sumtus ad hoc bellum, ex propriis suppeditent & continuent, vt notum esse potest ex historiis præcedentium bellorum & redditibus ipsorum annuis. Quam vero summam reditus eorum proprij attingant, quod tanquam secretum olim habitum fuit, iam non amplius Regem & Archiducem latebit, dum & hoc, & alia hostium secreta dicuntur tempore induciarum esse detecta; iamque magis per Grotium detegenda, qui omnium fere consiliorum & secretorum conscius, & nescio ob quam causam à Statibus captiuus, nuper eorum carceres muliebri astu euasit. quorsum vero nisi ad partes Regis, si non corpore, saltem animo & consiliis? vbi iam, cum grata boni hospitij memoria, patronum Statuum aget. Sed forte ponunt spem in auxiliis & pecuniis externis, de quibus postea.

VI. Rex potest longe maiorem exercitum pro bello continuando habere, quam Status. Nihil hic dicam de commoditate conscribendi, quam quidem Status non habent tantam ex suis prouinciis, potest tamen miles aliunde conscribi vel mitti: quamuis tamen in hoc etiam sæpius magna sit difficultas. Saltem hoc est certum, quod non possint maiorem vel æqualem exercitum sustentare, vti patet ex ratione præcedenti: loquimur enim hic iterum de propriis tantum viribus. Multum quidem spirant Hagenses in nouellis suis, quod nimirum Princeps Mauritius cum quinquaginta, imo sexaginta militum millibus breui processurus sit ad campum. Sed qui ipsorum mores bene, & modernas vires circiter nouerunt, mirantur, quod homines istos necdum pudeat Thrasonicos suos dolos venales proponere, & quod emtores quoque indies nasutiores fieri non cogitent: asserunt vero, quod quantum iam adhuc de conditione Stataum sciri potest, numerus militum in castris bene dimidio minor futurus sit. Ego quidem

dem & hoc satis credo: multum tamen metuo, ne forte Caluinistæ multiplicando suos milites tum demum incipiant facere miracula. Quæso enim, vnde alias haberent tam insolitum ipsis numerum militum in campis? cum & præterea copias non paruas pro præsidiis vrbium limitanearum alere debeant. Præter hoc vero, quod etiam olim facere debuerunt, iam quoque propter nouum periculum, metum scilicet rebellionis, siue potius cuiuscunque tumultus (non est enim rebellio, vbi non est legitimus Magistratus) in ipso meditullio suæ Reipubl. præsidia alere cogentur, quæ certe, quia periculum non est, nec parua esse debebunt?

Milites Statuum non contemno: habent enim vt plurimum VII.
Germanos, aliosque bonos milites & exercitatos; nisi quod simul etiam habeant multos Anglos, quorum natio in exteris bellis imbecillarum est virium. Nulli tamen militum ipsorum habent veram fortitudinem, sed tantum similitudinem aliquam fortitudinis ex natura & experientia: vitam enim suam pro iniusta causa in periculo ponunt, sequuntur tantum lucrum, vanam gloriam, aliasque passiones & vanos conceptus. At nostri milites plerique mortem, propter defensionem iustitiæ, legitimi Principis, fideique Catholicæ prudenter contemnunt. De pluribus modis, quibus milites à nostra parte & in hostes instigantur, diximus etiam supra.

Suprema vero capita rerum ab vtraque parte adeo à se inuicem VIII.
distant, vt ne quidem secum comparari possint; Magna scilicet Excellentia Regis & Archiducis cum magna vilitate & vitiis Statuum: adeoque nec alij militum Duces à Dominorum Statuum, quibus seruiunt, exigua nobilitate se multum excitare possunt.

Ad totius exercitus Duces Marchionem Spinolam, & Mauritium Auraicum in se quod attinet, vtrique sunt animo ac factis magni. In eo tamen differunt, quod ea, quæ Marchio Spinola facit, sint ex vera fortitudine; ea vero quæ Mauritius, ex similitudine & vmbra tantum fortitudinis, vti & de militibus dictum. Similitudo autem talis nunquam est tam similis rei ipsi, vt non deficiat. Quod de fortitudine dixi, adhuc magis verum est de prudentia, qua ille hunc longe superat. Sed ne verbis rem agamus, loquamur de experientia.

Ex fide dignis historiis & relationibus habetur, quod Marchio Spinola longe plus fecerit contra Mauritium, quam hic contra illum; imo quod hic quasi semper inferior fuerit, dum illum sensit aduersarium.

rium. Inde quoque experientia communi iam constat, quod nomen & præsentia Marchionis Spinolæ longe plus terroris incutiant aduersariis, quam Mauritij nostris.

IX. Sed videamus iam, si Status ex propriis non possint superiores esse, an saltem non possint ex alienis, seu auxiliis externis. In hoc vero primum magna est differentia inter ipsos & Regem; quod scilicet Rex sufficientia media ad acre bellum gerendum & continuandum habeat ex propriis; illi autem nullo modo ex propriis, vti visum est in quinta huius propositionis ratione. Quanto vero melius & securius sit ex se ipso sufficientem esse, quam ab aliorum fauore incerto pendere, omnes satis norunt.

Deinde Status iam non possunt habere tanta auxilia externa, quam olim. Potissima enim quæ olim habuerunt, & per quæ tam diu steterunt, fuerunt ex Germania, Gallia & Anglia. At in Germania per victorias & authoritatem moderni Imperatoris nostri talis status in posterum futurus videtur, vt non multum inde accepturi sint. Rex Galliæ magna sua auxilia, quæ antea annuatim in magna pecuniæ summa subministrabat, rebelli & ingratæ plebi tanquam Rex Christianissimus omnino subtraxisse dicitur. Habet ad hoc graues causas, tum ex re ipsa, tum ex ingratitudine Statuum, quam sensit in rebellibus regni sui contra se fouendis, & in eo, quod Status Barneueltium, equitem à se creatum, contra ipsius intercessionem infami supplicio affecerint. De Rege Britanniæ quod aliquid habituri sint, etiam ipsi confœderati Belgæ diffidunt; tum quia varia impedimenta in propriis suis regnis habet, Anglia præsertim; tum quia, si quid potest, iam satis se in negociis generi euacuat.

Magna quidem sibi iam de confœderata Republ. Veneta promittunt, Mirabor vero, si non tandem Catholicos illos cum rebellibus & iniustis hæreticis colludere propter salutem animæ suæ pœniteat. Facient tamen, quicquid facturi sint, non facient tantum, quantum Rex Galliæ bene olim pro Belgis illis fecit.

De Regis Daniæ noua confœderatione etiam multa dicunt: an tamen illa noua amicitia, quam Rex præter antiquum morem nuper cum Statibus per legatum iniisse videtur, eo tendat, vt ipsos etiam cōtra Regem Hispaniarum iuuare velit, multum dubitatur. Hactenus enim eorum causam non multum probauit; & qua noua ratione id iam faciat, seque in multas iniustas tricas & expensas non necessarias

implicet? Deinde submittat aliquid (nam adeo multum quidem id non erit) tamen nec id supplebit, quod iam ex Anglia desideratur.

Saltem si vult copias in Palatinatum mittere, vti dicitur, iam nihil poterit; & forte interim accipiet documenta, quod eas in Belgium mittere non sit è re sua. Videntur ergo Status minus auxiliorum habituri, quam olim habuerunt.

At Rex Hispaniarum olim quidem nulla habuit auxilia externa: Imperatores enim, qui potissimum aliquid fecisse debebãt, detinebantur aliis incommodis, & quia necdum tam multas proprias caussas contra Status habebant, non adeo pro parte Regis contra eos mouebantur. At iam nullis Catholicis vllum videtur dubium, quin modernus Imperator cum primariis & fidelibus aliquot Principibus, compositis aliis Imperii rebus, contra confœderatos Belgas aliquid authoritate Imperii dignum tentaturus sit. Atque hoc auxilium pro Rege ego pluris facio, quam omnia reliqua auxilia pro confœderatis. Res igitur nostræ etiam quoad hoc iam longe melius se habebunt, quam olim; aduersariorum peius.

Pro sequentibus coniecturis afferemus aliquot signa, quibus ipsa Respubl. seu politia Statuum ruinam minari videtur, præsertim si bello resumto simul impellatur. X.

Prouinciæ confœderatæ inter se non bene conueniunt. Zelandia vult bellum, Hollandia nutat, reliquæ malunt pacem. Zelandia enim se non tam facile adhuc in periculum venire putat, ac priuata commoda ex rapinis quærit: Hollandiæ populus plurimum lucri habet ex nauigatione Hispanica, quod tempore belli perit, interim tamen etiam multi fiunt participes rapinarum: Reliquæ vero vident se obiici periculo, & merito aliorum rapinas horrent. Geldria imprimis propter nimias exactiones & nobilium virorum persecutiones iam plurimum dicitur à reliquo corpore auersa.

Quod hic dico, pulcre confirmatur scommatico aliquo emblemate, quod ex vna ipsarum confœderatarum prouinciarum prodijt, Pinguntur nimirum septem cunæ tot prouincias designantes, quibus adstat easdem mouens Mauritius, aureumque vellus inter insignia sua portans, pictum tamen hoc modo vt valde obscure afficiat visum. Vna autem cuna designans Zelandiam tota est inquieta: Ea, quæ notat Hollandiam, capit infantem altero oculo dormientem, altero vigilantem: In reliquis altùm stertitur. Explicationem coniiciat Lector.

E Nec

XI. Nec ipsa quoque primaria capita inter se conueniunt, aut sibi confidunt. Mauritius enim & Statibus & aliis est suspectus, quod affectet principatum seu potius tyrannidem. Quæ discordia fuerit inter Mauritium & Barneueltium, patet ex eo, quod non potuerit sedari, nisi ex alterius morte. Similis inter plures gliscere dicitur: vt ita nisi odio Regis Hispaniarum se coniungerent, sibi inuicem offensi breui dissoluerentur. Egregie certe indicant, quorum spiritu regantur, malorum scilicet dæmonum, inter quos nullus est ordo nec amicitia nisi ad oppugnandos bonos. Sed tamen ne sic quidem, vti nec Dæmones, diu contra bonos stare possunt.

XII. Sunt ibidem & alias grauissimæ dissensiones, ortæ ex diuersis religionibus, Remonstrantium seu Arminianorum, & Contra-Remonstrantium seu Gomaristarũ: quæ ante paucos annos post multa verba aperte volebant erumpere in arma, adeoque pro vtraque parte iam erant plebis, ciuitatum & optimatũ factiones magnæ. Sed quia Mauritius mansit Gomarista, habuitque milites præsidiarios ad suum nutum, ideo audacia & viribus Arminianos oppressit. Iidem tamen etiam postea, ne Gomoristæ religionem suam solis armis promouere viderentur, ridiculo & infami conciliabulo damnati sunt. Sed merito Arminiani, postquam iudicium totius Ecclesiæ Catholicæ subterfugiunt, etiam multo magis tale insulsorum aliquot ministrorum iudicium contemnunt: & quia se non tantum opprimi, sed etiam illudi vident, magis etsi oculte inflammmescunt, exarsuri in apertum ignẽ, quando dabitur commoditas. Multum fomenti ad hoc addit, quod aliqui eorum patroni in carceribus detineantur, vel sententia capitali afficiantur; & imprimis mors Barneueltij, quam detestantur; clientumque ipsius studium vindictæ, quam saltem fauore prosequuntur.

XIII. Est quidem verum, quod Status adhuc coniunctim gubernacula teneant, bella & fœdera ineant, ærarium publicum in sua potestate habeant, inde militem pro sua obedientia conscribant, & quod etiam maximã partem plebis à sua parte sentiant, imprimis peregrinos qui tanquam turbulenti & hęretici ex aliis locis Catholicis eiecti sunt: sed tamẽ antiquiores, nobiliores & meliores ciues huius Reipub. iam sunt pertæsi regiminis Statuum, ab eoq; auersum animũ habent. Plurimi enim Catholici ibi degentes in id nunquam consenserunt, sed propter iniquitates temporum tolerant. Multi quidem in principio ad

rebellionem propter odium Hispanorum consenserunt, sed iam oculos aperire incipiunt. De Arminianis antea dictum.

Et generatim omnes fere honestiores ita sentiunt. Habent ad hoc multas causas, excepta religione, ex quibus singulis bene singulæ rationes coniecturales pro nostra propositione probanda fieri possent; sed breuitatis gratia eas hic in vnum contrahamus. Paulatim enim magis magisque vident, quod à sua parte rebellio & iniustitia sit, & quod magistratus Statuum sit omnino illegitimus. Vident deinde, quod grauamina, vt illi putabant, & propter quorum subleuationem Regis obedientiam excutiebant, iam sub regimine Statuum non sublata sed in plurimis aucta sint.

Libertatem religionis quærebant, vbi iam habent? Strictam iustitiam à Regia Maiestate in capita Optimatum fieri horrebant; at iam eandem (saltem sub nomine iustitiæ, quamuis prudentiores vim & fraudem subesse putent) in eadem à vili & plebeio magistratu fieri tolerare debent. De nimijs exactionibus querebantur, iam vel inuiti debent pendere longe maiores, & miror, quomodo ab ipsis tolerabiles. Liberam Rempubl. volebant: at pro legitime olim subdita iam est illegitime serua. Hoc autem merito & omnibus dolet & debet dolere, quod videant paucos & plebeios Status rerum potiri, idque externo milite, viliori plebe, pertinacibusque exulibus subnixos; se vero tanquam antiquiores, nobiliores & honestiores haberi quasi pro seruis, quasi non facerent partem in Republica; & si quid dicant, ad supplicium rapi.

Ex adductis itaque satis apparet, quanta spes sit pro felici successu huius belli, & quod propositionem nostram prudenter posuerimus.

Nec quicquam fere contra eam obiici potest, nisi hoc vnum, quod scilicet Status habeant valde fortes vrbes & munitiones, quæ fere pro inexpugnabilibus æstimantur. Sed respondeo, quod nec Babylon cum muris suis, nec Tyrus nec aliæ ciuitates & munitiones à seculis famosæ, iræ Dei, prudentiæ Ducum & fortitudini militum inexpugnabiles fuerint. Eadem vero etiam pro nobis pugnabunt & expugnabunt. Nec item alia media humana nobis, vt nec hostibus intrinseca corruptio, deerunt.

Merito ergo tum alibi, tum imprimis in Belgio afflictos Catholicos pro consolatione talibus alloquor verbis: supradictis iam

fieri incipientibus, imo multis iam factis, *Respicite & leuate capita vestra, quoniam appropinquat redemtio vestra.*

Regem vero Catholicum hac ipsa Propositione nostra, hactenus feliciter probata, pro felici omne & voto alloquor. *Resumat nimirum bellum contra rebelles Belgij Status, eritque pro felici successu à parte Ipsius probabilißima spes* VICTORIÆ.

GLORIÆ VICTORI CRVCIFIXO, VIRGINI *Matri, SS. Jacobo & Laurentio.*